



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Gisvlfvm Abbatem. Eius curae
monasterium Angelbergae imperatricis committit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCXXXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EVNIBERTVM COMITEM.

Minatur illi excommunicationem, nisi res sancti Petri,
& Angelbergæ imperatricis restituat.

Euniberto glorioſo comiti.

VERACI relatione comperimus, te res sancti Petri apostoli, quas spirituali filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ concessas habemus, cum aliis eiusdem filiæ nostræ proprietatibus, contra legem inuadere, ac retinere: & ob hoc tu ipse admonitus ab inuasione illa non te substraxeris: quin potius hactenus in hac eadem prauitate perfistere nequaquam omiseris. Idcirco tibi præcipimus, vt omni occasione postposita te compescens easdem res omnino relinquis, & te siue tuos ab ipsis remoueas: quatenus eidem filiæ nostræ liceat omnes illas suo dominio vindicare, atque disponere; & vt ei libitum fuerit, sub nostro speciali mandeburdio retinere: alioquin noueris te apostolica nostra auctoritate sancta communione priuatum; & quoque sub congrua satisfactione, quæ alterius sunt restituas, a Christianorum consortio separatum. Data vt supra.

EPISTOLA CCXXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GISVLFVM ABBATEM.

Eius curæ monasterium Angelbergæ imperatricis committit.

Gisulfo venerabili abbati monasterii sanctæ Christinæ.

ACTORITATE sanctæ sedis apostolicæ, tuæ reuerentia committimus, vt curam perspicuam, & solicitudinem habeas monasterii dilectæ filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ siti in ciuitate Placentia, sicut idoneus Christi minister, & gregis Domini prouisor eximius; quatenus secundum regulam sancti Benedicti, iure abbatis quæ ordinanda vel disponenda sunt disponas & ordines: & quæ corrigenda perspexeris, subtili dumtaxat indagatione, vt

Mm iiij

Domino placeas, ex nostra auctoritate corrigere procul-
res. Data vt supra.

EPISTOLA CCXL.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GREGORIVM, THEOPHYLACTVM,
ET DIOGENEM, &c.

Gratulatur de victoria contra Sarracenos parta. miratur
cur Romam non venerint. mandat vt contra
Sarracenos sibi auxilio veniant.

*Dilectis viris Gregorio Ipathario, Theophylacto turmacho,
atque Diogeni comiti imperialibus.*

AUDIENTES vos per Dei auxilium, & secundum spi-
ritalis filii nostri imperatoris voluntatem, Neapolim
venisse, ac multitudinem Sarracenorum ibi consistentem
potenti brachio superasse; lati sumus effecti, & statim debi-
tas omnipotenti Domino gratias egimus super victoria ve-
stra, & inimicorum contritione. Sed iterum mirati sumus,
quia Romam venire, nostramque apostolicam neglexi-
stis videre praesentiam, vt pro vestri laboris certamine mul-
tiplicem gratiam, & benedictionem a nobis, & a sede apo-
stolica super vos reciperetis effusam: quatenus sanctorum
apostolorum Petri & Pauli orationibus adiuti, omnique
spirituali benedictione muniti, contra eosdem perditionis
filios vietrici semper dextera valeretis efficaciter dimicare:
quod tamen vt salubriter facere possitis, vt terra, mari-
que de inimicis, & infidelibus viatores feliciter existatis:
ideo mandamus vobis, vt cum aliquantis dromonibus pro
honore iam dicti spiritalis filii nostri Augusti, has nostras
in partes iterum venire omnimodis satagatis: quatenus
contra eosdem nefandos Agarenos congruum nobis adiu-
torium præbere possitis, vt ex hoc laus & merces impera-
tori accrescat, & a nobis dignas retributiones sine dubio
recipiatis. Quapropter monemus, & hortamur vos, vt
nostris monitis libenti animo attendatis, & quidquid auctu-
ri estis, per vos velociter cognoscamus. Data vt supra.